

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Fortitudo c
cum fontibus proximo et primo

Manipulus florum, Fortitudo c:

Non mediocris animi est fortitudo que sola

defendit ornamenta uirtutum omnium
et iusticiam custodit, et que inexpiabili prelio aduersus
omnia uicia decertat, inuicta ad labores, fortis ad pericula,
rigidior aduersus uoluptates

ut
auariciam fugiat tanquam labem quandam
que uirtutem effeminat.

Ambrosius libro I. de officiis.

Fons proximus:

Praeterea, Ambrosius dicit, in I *de Offic.*:
Non mediocris animi est fortitudo,

quae sola defendit ornamenta uirtutum omnium,
et iudicia custodit; et quae inexpiabili praelio aduersus
omnia uitia decertat. Inuicta ad labores, fortis ad pericula,
rigidior aduersus uoluptates,

auaritiam fugat tanquam labem quandam
quae uirtutem effeminet.

Thomas de Aquino, *Summa theologiae, Secunda secundae*,
123.2.2 (P. Caramello ed., p.558).

Fons primus:

Non est igitur mediocris nec discreta a ceteris *animi fortitudo*
quae bellum cum uirtutibus gerat sed
quae sola defendat ornamenta uirtutum omnium
et iudicia custodiat et quae inexpiabili proelio aduersus
omnia uitia decernat, inuicta ad labores, fortis ad pericula,
rigidior aduersus uoluptates,
dura aduersus illecebras quibus aurem deferre nesciat nec,
ut dicitur, aue dicat, pecuniam neglegat,
auaritiam fugiat tamquam labem quamdam
quae uirtutem effeminet.

Ambrosius Mediolanensis, *De officiis*, 1.39 (CCSL 15, M.
Testard ed., p.72, ll.1-8).